

nunc quem videmus apparatus apprime confirmat. Nostrum itaque est ad iudicem reum tradere, qui rigidas pro meritis gravesque poenas addicat.

VINC. — At nisi orationem ex ore eripuisses, probassem facile....

VIG. — Silentium!

VINC. — Apage! Cum isto tuo silentio quemquam vel ad furcam rapueris....

VIG. — Undenam igitur mensale hoc es praedatus?

VINC. — Nullibi, inquam, terrarum. Meum enim est, qui argentariam ago.

HIPP. — Et ipse testari possum.

VIG. — Silentium!... Curnam illam fugam capessieras, retroque exterritis oculis spectabas?

VINC. — Hippolyti periculum abibam, qui mihi aures in insaniam sua eradicare contendebat.

HIPP. — Me tibi aures eradicare?

VIG. — Videas quid stolidi consilii repereris!... Satis iam verborum: ad iudicem, inquam, ad iudicem!

HIPP. simul atque Vinc. — Ad iudicem?

FRANC. — Sustine tandem signa, quae solo vigilius diligentissime. Si enim hic mali est quidpiam, culpa omnis in me conferendast: ego sum huic rei caput.

HIPP. — In noxa tu, Franciscule?

VINC. — O mea tandem commoditas, infelicem me in vadum reducas!

VIG. — Heu vos!... Silentium! (*Francisculo*): Loquere, puer; cave tamen ne tricas aut falsa concinnes.

FRANC. — Quam potero verba in paucissima reddam, et per veritatem. Quia hodie, ob diem domini mei nominalem, prandendum mihi cum eo erat, dummodo ne importunus quispiam superveniret, Vincentio huic, qui ad fortunam meam subvertendam accessit, de-

nunciavi, ut abiret, amicum suum, insanientem interdum, per mensam solitum eradicare convivarum aures.

HIPP. — Animus gladiatorius, ut eum exballistavit!...

FRANC. — Credidit ille officiis meis; dumque modimperator hic noster pulillum istum Indicum secare moliebatur, is de auribus suis agitari putans, abiit, excessit, evasit, erupit. Haec ad amusim vera.

VINC. — Crucior lapidem non habere me, ut illi mastigiae cerebrum excutiam!

FRANC. — Da, contra, mihi hanc veniam: ignosce.

HIPP. (*Vincentio*) — Adeo te fuisse fungum ut qui illi crederes!...

VINC. — Tam ingenue fatebatur! Hei mihi! Pieta vidi quae sub Acheruntem fiunt cruciamenta.

HIPP. — Illa quae antehac facta sunt praetermittamus. Quando res bene demum successerunt, hilarem sumamus omnes hunc diem: quod si optimus hic Vigil noster eiusque milites praesto esse et ipsi velint...

VIG. — Praesidio civibus semper esse, hoc opus, hic labor noster. (*Ad milites conversus*): Macti este hacce dape, commilitones!...

VINC. — Ad amicum meum celebrandum...

FRANC. — Eius gratiam pro nobis fovendam...

HIPP. — Suisque honoribus decorandum Franciseuli prandium.

FRANC. — FINIS. I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☺ ☺

## De rationibus quae ad nobiliorum linguarum cognitionem facilius ducant

Non erit abs re de hoc argumento et in hisce paginis disserere: exinde enim pauperiem, qua latinitas ipsa nostris diebus premitur, remedium aliquod fortasse invenire poterit. Nec equidem nova sugerere adnotatiunculis meis praesumo; si vero iamdiu prolata repeatam, satis habebo fructum illius veteris adagii colligere: *Repetita iuvant*.

Ut autem paucis multa, quemadmodum res postulat, complectar, quattuor dicam necessario requiri, si quis in lingua addiscenda et exercenda feliciter progredi et aliquando egredi velit, ne prorsus haereat, et quasi in carcerem compingatur. Primo, intelliget omnium vocum usitatarum significatus omnes; vel ut idem paulo aliter exprimam, linguae radices, et ab illis suppullulantia, quae vulgo derivata vocant et composita. Secundo, observabit linguae idiosismos et hinc natam elegantiam. Tertio, privarum vocum proprietates et concinnam structuram, qua iuxta leges grammaticae coeunt, et puram orationem efficiunt. Quarto, ad usum ista transferent: a) auctores qui in lingua illa excelluerunt et eleganter scripserunt in-

terpretando; b) e vernaculo in linguam quae discitur, transferendo; c) in familiari colloquio vel simili in usu, novam linguam usurpando. — In quatuor istis aut cardo rei vertitur, aut ego sum in magno errore.

De singulis paulo fusius dicere, opera premum est.

Quam necessarium sit ut studiosus alicuius linguae omnes eius voces usitatas intervisat, exemplis illustrari potest. Qui omnes alphabeti literas syllabasque usitatas, ex characterum concursu formatas, decenter exprimere potest, is in omnibus libris legit expedite. At si quis tantum aliquam literam ignoret, reliquas autem norit, nunquam leget probe, sed obmutescet in illis vocibus, quibus unus et alter ex ignotis characteribus inseruntur. Rem ita se habere nemo unquam negabit.

Ut literae variae ingrediuntur **voces** has vel illas, sic voces variae et diversae, iam haec, iam illae ingrediuntur orationem, proprietate ac diversitate rerum, de quibus agitur. Cui autem maxima pars vocum ignota est, quique quid notent est nescius, quomodo animi sensus exprimet, nisi recurrat ad ignorantiae istud asylum: « Da mihi hanc rem, illam rem », vel inepta et ridicula periphrasi uta-

tur, etiam in parva sententia sive periodo? Quomodo auctoris alicuius mentem exponet? Impossibile esse, cordati omnes uno ore fatebuntur, aequa ac si quis species arithmeticae, addictionem, subtractionem, multiplicationem ac divisionem exercere praesumat absque usitatis calculis, vel decem cyphris sive characteribus arithmeticis; ac si quis tribus lineis pentagonum velit in geometria delineare. Ad vulgarem praxin et experientiam provoco, quam in scholis observare licebit, quando praceptor in vernacula linguam vix decem periodos proponit latine reddendas: magno molimine, et multis caeremoniis sese accingunt discipuli, parturiunt montes, tot secum libros deferunt, quibus vix sunt ferendo, iam illam vocem in indice seu calce libri operose quaerunt, priusquam unam atque alteram inventiunt, elabitur hora, nonnullas prorsus reperire nequeunt, etiamsi Vulcanum in cornu gerant in ipso meridie cum Diogene; aliquandoque ignavos pharmacopolas imitantur, qui in succedaneis usurpandis, uti vocant, valde sunt faciles. Quando enim desiderari vident hanc vel illam radicem, corticem, plantam, florem, semen a medico prescripta in rationibus illis medicinae facienda, aliam plantam, aliud florem substituunt, quibus cum prescriptis floribus aut plantis saepe minima, saepe nulla intercedit familiaritas et cognatio.

Sic in componendis styli exercitiis, quum vident tirones, ut sit res angusta domi, quam sint vocum aut phrasium egeni, aucupari illas satagunt, et saepe fringillam pro cardueli, cneulam pro luscinia capiunt, saepe summa cum indignatione a suis libris discedunt sine solatio, sine responso, tamquam ab intermortuo Apolline Delphico, qui suis

excessit adytis; imo aegre ferunt a se istud repeti, quod nondum didicerunt, quod nemo docuit; iussit enim praceptor ut « mox Carthaginis altae fundamenta locent », quum nec lapides, nec ligna, nec calx, nec argilla, nec aliud quidquam harum rerum ad manus sit.

Praeterea alicuius linguae studioso ita intervisere voces necesse est, ut omnes significatus cuiuslibet teneat, comprescatis illos, qui hodie sunt in usu. Nam non nullae voces reperiuntur, quae aliquam significationem, quam olim habuere, nunc prorsus sepeliverunt. Exempli gratia, vox « hostis » apud antiquissimos notabat « peregrinum », quemadmodum Cicero scribit (*Offic.*, lib. I): « Hostis apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus ». (1) Sed illa significatio nostra hac tempestate silet.....

\* \*

At redeo unde iam digressus sum. Omnes significaciones vocum usitatas intelligi debere dicebam. Nemo enim potest nescire, unum alicuius linguae vocabulum saepe diversa significare. In exemplum erunt quae sequuntur: « Alis volant aves — Hircus sub alis olet — Alae equitum stant in acie — Alas barbae calamistris suis erigunt tonsonores ». Vides ex his locutionibus, ut in alias significaciones libere transiliat vox « ala ». Sic aliud est iugum boum laborantium, aliud iugum testudinis, aliud iugum in trutina, aliud iugum montis. Sic « abacus » non eo sensu usurpatur a Juvenale (*Sat.* III), quum ait:

*Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex  
Ornamentum abaci....*

(1) Hinc illud Plauti (*Rudent.*, act. II): « Cur tu aquam gravare, amabo, quam hostis hosti commodat? »

quo ponitur a Persio quando scribit:

*Qui abaci numeros et secto in pulvere metas.  
Scit risisse.....*

Sic diverso sensu dicitur palmam leniter admovere; palmam pondere pressam resurgere, et, si forsan addendum, palmam alicui praeripere aut deferre. Ita ingeniose lusit Augustus Imperator diversu significatu vocis « colere ». Quum enim non nemo araret locum paternae sepulturae: Hoc vere — inquit — est patrem colere. Sic differunt: Deum peccatis offendere; in foro offendere; caput offendere ad parietem.

Ad alias linguas et alia exempla excurrere non opus erit in re plana. Qui itaque alicuius vocis, una eademque opera non addiscit, is semper fluctuat, eamque in nova atque ignota significazione positam intuetur, tamquam Protea quandam, qui novam subinde faciem induit, quemadmodum vafer ille Mercurius Sosiae formam in duebat in *Amphitruone*; et aequa miratur tyro vocem aliquam veterem et cognitam significacionem perdidisse, atque miratur Sosia Plautinus quod a se ipso sit alienatus, Sosia non sit amplius Sosia, sed alibi se ipsum reliquerit et oblitus sit.

Sed quid opus est multis? Mutilam et vix semiplenam vocum expositionem, tyrones linguae insigniter turbare et remorari, non est ut negetur.

\* \*

Praeterea circa vocum significacionem probe imbibendam observatione dignum esse arbitror, non semper sufficere si vox linguae ignotae, nuda voce linguae vernaculae exponatur; nam vel centies et amplius fieri potest, ut pueri audiant, etiam in patria lingua, hoc vel illud vocabulum, rem tamen notatam ignorent;

et consequenter in spurios conceptus abripiantur. Exemplo sint duae voces: « absis » — « antenna ». Qui rotam cum suis partibus nunquam vidit, qui navim sua supellecstile instructam oculis nondum usurpavit, qui tandem scire poterit quid sit absis, quid antenna? Idem evenit in aliis. Quid sit exdossuare pisces, exenterare pisces, remum agere, navim remulis trahere, profecto rem ipsam non intelliget, nisi ista aliquando viserit puer in culina ac navigatione, vel nisi plenius et clarius exposueris; alias aegre sibi aut perperam imaginabitur ista negotia. In rem itaque iuventutis erit ostendere res verbis notatas, si quando fieri potest, vel rerum imagines in picturis, ut videant quid sit quod vox haec vel illa innuit: ita facilius memoriae infingentur, et diutius haerent rerum nomina, quae si advolaverint ad aures, tamquam nuda Echo erunt, aeris filia ex repercussione nata, et sine mente sonus. Imo etiam istud emolumenti inde redundabit ad linguae studiosos, ne facile decipientur a cognatis et eiusdem fere soni vocabulis. Sane nativum vocum significatum novisse, non est minima pars eruditionis, parique conformitatem inter mentem et linguam, ne quis dicat: « sponte venit », quando ei erat dicendum: « ultro venit », et vice versa.

(*Ad proximum numerum*).

DOCTOR HAVER.

\*\*\*\*\*  
**Quo ritu apud Graecos et Romanos  
acies ad bellum instruerentur**

Ratio hodierna bellica, praesertim igniferorum omnis generis tormentorum causa, ita facta est a maiorum nostro-

rum aliena, ut novarum rerum prope saporem inducere videatur, qui circa eam nunc dicere aliquid instituat. Quo quidem adductus consilio, de acie instruenda apud Graecos et Romanos, — qui modum suum ex iis maxime deduxerunt — nonnulla scribere hodie cogitavi, humanitati vestrae, lectores benignissimi, qua antiquitatis notas qualescumque meas in his paginis prosequimini, ut moris est, confisus. Atqui totius rei ordo ex hoc principio unice pendere apparet: Ubi sit rite dispositum agmen, suoque quidque ordine locatum, sine trepidatione imperator victoriam ab omnibus optatam promittet.

Quum igitur civitas in Tribus distributa antiquitus esset, ex his Decuriones primum, de tribuni sententia, ex ipso inventutis flore, deligebantur: quorum qui aetate et prudentia qui pulchrum aliquid et gerendi et audiendi studio flagrarent, hos anteire oportere existimabant. Post hosce, totidem diligendi erant, ex iis qui aetate et prudentia maxime antecederent; qui postremi in ipsis centuriis collocabantur. Decurionum vero ordo ob has praecipue causas constituebatur, quod qui priori loco collocati essent, omnes principes fierent; quumque in dignitate essent magis quam quum privati, impositum sibi esse putabant praeclari alicuius facinoris gloriam quaerere. Primorum inde manus promptiori alacriorique se animo offerebat, siquidem a fronte periculum ingrueret, quum eam minime lateret, eum locum suae virtuti creditum esse; itemque postrema, si qua a tergo maior vis premeret; quum eam haudquaquam etiam fugeret, deserere ordinem turpissimum esse: itaque qui etiam postremum agmen duceret, hunc omni laude cumulatum virum esse con-

veniebat. Si enim praestanti virtute esset, quum tempus instaret, iubens in hostem invadere, prioribus vires adiiciebat; sin rursus referre pedes opus esset, prudenter abducens suos, profecto magis servabat incolumes. Hic igitur secundum Graecorum rationem agminis erat ordo.

Iuxta Romanam autem eiusmodi erat. Auxiliares leves et sagittarii praeibant primo ad festinas hostium incursions coercendas, utque suspecta insidiis loca scrutarentur; post hos viarum scrutatores, qui aggerum maligna corrigerent, sylvasque praeciderent, ne perplexo iterne fatigaretur exercitus; deinde sua superiorumque sibi rectorum impedimenta ferentes, et, defensionis ergo, plurimi cum his equitum, post quos princeps ipse equitatus peditatusque. Hos sequebantur qui removendis urbibus machinarum ac reliqnorum tormentorum genera deferebant; chiliarchi deinde ac praefecti; et post hos, circa Aquilam, cetera signa militaria. Servi deinceps singulorum ordinum cum peditatu erant; agminis postrema multitudo mercenaria tenebat, agmen claudentibus armorum factoribus et armatis equitibus peditibusque non paucis.

Ceterum pro tempore et causis occurrentibus Iulius Caesar octo legiones hac ratione et ordine inter eundum disponebat, quum hostes cominus sentiret: sex legiones expeditas proponebat; post has totius exercitus impedimenta, inde duas legiones, quae minus firmae ad dimicandum putarentur, ut agmen clauderent praesidioque impedimentis essent. Minoribus autem expeditionibus tres legiones expeditas praemittebat, deinde impedimenta, novissime legionem unam, quae acies concluderet. Ita quadrato fere agmine

incedere, ubi hostis ab omni parte suspectus esset.

At vero quum conflicturae coeant utrinque hostium copiae, primum optimi et sapientissimi ducis munus videtur illos constituere ac disponere, qui prudenter, fideliter, strenue ac viriliter hostem invadant. Tum si omnem civium equitatum celeriter ad mille equitum numerum compleri necesse apud Romanos esset, ad ducentos praeterea peregrini constituebantur equites et intercives collocabantur: qui quidem adiuncti milites non iniuria videbantur et firmiorem universum equitatum prae stare, et magis aemulatione quadam ad laudis et gloriae cupiditatem incendere, ut certatim se invicem virtute superare niterentur.

Quamquam, si hic generatim in acie ordo constituebatur, huiusmodi ratio per locorum et hostilium machinarum telorumque occasionem immutationes patiebatur; quas circa, ad innumerias proeliorum descriptiones, quae apud Caesarem Liviumque ceterosque latinos scriptores sunt, delegamus. Unam tamen praeterire nequimus; quae scilicet a Romanis adversus Latinos adhibita est, a Latinis adversus Romanos. Tum in singulis pene similis instructae aciei ratio, aequae utrinque vires, idem animorum ardor, eadem militaria instituta, idem armorum genus: milites militibus, centuriones centurionibus, tribuni tribunis compares erant; quumque in unum manipuli plures coissent, plures hastati et scutati et principes, antepilarii, vexillarii, triarii, rorarii et accensi. Hisce omnibus quum munitus esset exercitus, hastati omnium primi proelium incepturn: qui si hostibus pugnando inferiores redderentur, ipsi sese ad suos recipientes, a principibus excipiebantur.

Tunc Principum pugna erat; subsequbantur hastati. Quod si a principibus quoque infeliciter dimicatum esset, a prima acie ad Triarios, qui postremam claudebant, sensim referebantur: qui quum in acie tertio ordine extremis subsidio locarentur consurgentis, hostes incescebant: hi quamquam spei nihil suis post relinquenter, hostibus tamen formidinis plurimum afferebant, quum velut fusos profligatosque hostes insequebant et Victoriae compotes, inopinatam extemplo aciem scutis et hastis horridam munitamque et militum numero auctam intuerentur. Instructis ita ordinibus invicem pugnatum est, Victoriaque ob id unum Romanis arrisit, prouti inter omnes constat, quod P. Decius se pro exercitu devovisset, atque ita hostes, religione magis quam Romanorum renovato impetu, territos vertisset in fugam.

\* \*

## DE FLABELLIS

Fervet canicula, calores non modo in urbe, sed ubique gentium magni sunt, omnesque cives in mentem facile revocant illud Vergilii, et repetunt:

*Felix... qui latus in umbra  
Formosam resonare doces Amarillyda silvas.*

Si vero in silvis frigus haud possum dulce captare, utinam saltem *flabellum* mihi sit! In urbibus, in pagis, vel in pauperimis villulis nostris est mos, ut non modo matrona, sed et puella flabellum agitat, sicque aliquod sibi procuret solarium. Ac propterea dum aestas transit, transeunt et calores, iuvat prolixe de flabellis dicere.

\*\*

Primum, ut vulgo creditur, flabellis usi sunt Orientis principes, qui Ninive olim superbe dominarentur et Babylone. Verum etiam memoria proditum est, Ferdinandum Cortez, quum Mexicana littora primum appulit, superbū cum sociis suis renuisse flabella pulcherrima, et miro artificio contexta, quae in pacis pignus atque amicitiae principes eorum populorum offerrent.

Quid de Mahometo memorem, eiusque discipulis? In loco enim amoenissimo, quem deliciarum lucum more suo appellant, centum pueri adsunt centumque puellae, quae dum choreas liberrime servunt, mille ventilant flabella, exquisitissima balsama hinc inde expirantes.

Procul dubio, tu, candide lector, meministi *Abu Hassan* dormientem in illo fabularum libro, cui est nomen italicum: *Mille ed una notte*. Nimirum ipse quietus, atque inter somniandum se se Caliphum esse reputat, et expperectus circa se adhuc psallentes puellas cernit, quae, ut levissima rosarum foliola adflantibus zephyris excitantur, choreas ducent, sexque flabella suavissima movent: ex altero latere nigris crinibus, ut Persidis ebanum, oculisque profundis, ut est oblivionis pūteus, psallunt flabellis e plurimis ardeae compositis, quibus os est coralli simillimum, vultus lunae, collumque alabastri; ex altero vero latere flabella sunt pavonis plumis aureisque capilli: oculorum deliciae, cordisque voluptas, saccari arundo. At flabellum excitat quoque miseriarum memoriam, praesertim e musulmanorum pectori, quotiescumque ipsi recordantur pridie kalendas Maias MDCCCXXVI Algeriae regulum a Galliae consule inter-

fectum. Cuius vulnus nec ipse Abdel Cader virtute sua sanavit.

Constat autem inter omnes, minime Graecos cognovisse flabellorum usum. Quamobrem Morous falso Helenam ingeniose effixit Paridem anxie exspectantem, atque ob nimiam moram, animi causa, lectitatem incerti belli Troiani fortunam ex figuris magno in flabello depictis in folioli formam, quod curiosius oculis etiam ipsa observat. Verum enim vero ex omnibus Homeri carminibus nulla argui potest de flabellis memoria, nec de Calypso, nec de Penelope, nec de Circe. In sculpturis graecis segnioris aevi, in Romanis anaglyptis, quae ex Graecis provenerint, mulieres conspi ciuntur magna foliola p̄ae manibus ferentes, quae procul dubio flabellorum locum obtinebant.

Romae subito maximi flabella aestimantur e plurimis confecta, et Martialis illa nempe laudat pennis arionis contexta; et Propertius ad Cinctiam ea laudibus exornatae pavonis plumis composita. Imo brevi post tempore maxime adprobabantur *tabellae*, tabulae scilicet ad aërem captandum ex ebore constructae lignisque pretiosis. Vide, sis, Ovidium de ludis circensis. Eo ventum est, ut apud Christianos, auctore Tertulliano, inter periculosiora moribus inventa flabellum poneretur.

\*\*

At brevi flabellorum memoria in privatis aedibus deletur. Quaedam tamen testimonia commemorant, saeculo duodecimo in Italia flabella adhibita esse plurimis confecta struthionis, pavonis et psittaci cum manicis eburneis lapidibus que pretiosis. In Gallia tandem decimo quarto saeculo iterum redeunt, sed ad

muscas potissimum repellendas, ut ex ipso nomine erui facile potest, haud plumbis confecta, sed rotunda ac sericea cooperata panno vel aureo pretesto, ut appareat Reginae Ioannae flabellum, quod chronistes nobis depingit, aureo panno liliisque contextum, Galliae stemmate decoratum et Navarrai, longa cum arundine ebore gemmisque ornata. Hic modus regibus Galliae placuit, atque Carolus V duos qui id munus exercerent elegit pueros, ut inter prandium duo vexilla agitarent ad frigus excitandum, regalibus insignibus nobilissime ornata lapidibusque praestantibus. Haud equidem eo munere, quo Aegyptii fruerentur, decorabantur; attamen se se facile rebus aptabant. Neque hac in re melioribus fatis usa est Italia.

Si puerorum usus, qui flabella ventilarent, serius omnino invectus est apud parvulas Italorum principum domus, diu postea mansit, et, regnante Ludovico XIV, Guez de Balzac amico cuidam suo ab Italia perridicule scripsit: « Heic flabella adeo grandia sunt, ut vix a quatuor pueris moveantur. Quod meo in cubiculo est, ea vi gaudet atque virtute, ut naves in mari flatibus suis submergi possint ». Sic Gallus, etiamsi nimis temporibus inserviens atque ingenio, magnis verborum imaginibus utitur; res tamen placet atque ipsa eius novitas in primis delectat.

At quoniam obiter de flabellis quadratis mentionem feci, ad rem facile venio, eo potissimum nomine, quod si ea silentio premerem, haud ita facile crimine excusarer, quum itala flabella nobis post renatas litteras mira omnia videantur eaque obsoleta. Erat parvulum rigidumque vexillum, atque ab uno ex eius lateribus arundini aptatum. Huius formae est parvulum illud vexillum quod

Paulus Titianus, qui, domo Verona, Veronensis est dictus, in tabula, quae Dresdae in Germania adseratur, posuit in manibus filio suo Lavinio; in tabula vero quae in Pradi collectione cernitur, Venetum exponit, quae flabello Adonem ventilat in sinu suo obdormientem.

Color autem ipse horum flabellorum frequentissime mulierum conditionem referebat. Atque adeo pauperum candum erat argentoque contextum, quod innuptis ipso nuptiarum die album et auro decoratum donabatur. Ceteroquin vel inter huiuscmodi flabella aliquot pretiosa erant ac plumis ornata, ut cerni potest in effigie Laurae a Pola, quam Laurentius Lotto depinxit atque in Museo Brerae Mediolani asservatur.

Sub finem saeculi decimiquinti, flabella vexillaria variora esse coepta sunt; atque ineunte saeculo decimo sexto flabella invenuta sunt rotunda plumisque exornata. Usus tamen flabellorum ita in Italiam vigebat, ut *Coresar*, clarus peregrinus Anglus, anno MDCVIII scriptaret ibi viros foeminasque adhibere flabella, ut sibi frigus captarent inter aestivos magnos calores. Eorum autem constructio admodum simplex erat: Chartulae frustum pictum cum parvulo ligneo fulcro. Haec autem chartula ex utroque latere picturis elegantibus ornata, res potissimum amatiorias referbat, vel celebriores urbes.

Flabellum ita est iam elegantiae instrumentum sociumque vitae, quae ab ipso integra effingitur. Vel ab Ludovici XV temporibus ad universam illum rerum Gallicarum eversionem, ad imperium Napoleonis I, usque ad omnium instaurationem atque usque ad nos, in prima flabellorum fronte res patriae praesertim referuntur, nihilque melius atque commodius quidquid cum historia con-

nectitur. Nec est fortasse res, quae aptius ad muliebrem cultum pertinet, nil magis nos commovet tamque clare temporis effigiem exponit, ut secum testimonia rerum suavia atque intima obtineat. Quis enim non est passus subtili eamdemque suavissimam memoriam, quum inter reliquias flabellum invenerit? Nimurum videtur parvulum hoc munus sit veluti amiei nuper defuncti particula. Placet enim mente sibi illorum motus proponere nunc lento, nunc rapidos, quibus nobis quodammodo reviviscit spiritus, qui recens e conspectu disparuit. Sinus ipsi vestis aliquantis per inconditi in mentem revocant dies laetitiae festos, placidam in aestivis meridianis quietem, apud cuiusdam domus umbram, dum sol luce splendescit. Rerum praeteritarum moestitia, memoria tristium, quae nunquam redibunt, ex ruptis iisdem schedulis loquuntur, pallidae rerum figurae absque ulla illius elegantiae praeteritae recordatione.

Non omnia tamen flabella vetera episodia dramatica vel historica memorant; sed illud certissime nescio quid humani, quod est in omnibus, ea nobis cariora faciunt, quae vel hominum curiositas vel amicorum cupiditas collegit.

Sic, inter pretiosissimas res, quae olim erant Mariae Antoniolae, reginae infeliciissimae, et adhuc adservantur, nihil magis hominum animum torquet, atque ad moestitiam revocat, quam flabellum illud, quod ipsa A. De-Cray foeminae clarissimae eiusdemque mundi muliebris reginae custodi, concessit, quum vi Lutetiam Parisiorum ex Versaliarum regia, Nonis Octobris MDCCLXXXIX petens, inter fidissimos suos omnia quaeque divisit. Flabellum hoc eburneum Ceylani in Indis olim compositum, assulas inter se se liberas simul vitta, caelesti colore,

devinciebat. In ipsis Le-Fland, optimus eboris sculptor, omnibus adprobatisimus, effinxerat Pyrrhi occursum cum Alexandro. Hoc olim Reginae dederat Deppa, Gallia septentrionalis civitas, quae maxime eburneis sculpturis celebratur, quo die editus est in lucem Delphinus, qui tam miserrime diem obiit supremum.

Quo tempore enim in Gallia mos erat ut sumptuosius caesaries coleretur, et apud nos in Arcadum collegio nihil quam pastorum cantus audiretur, mirum in modum flabella curabantur. Nimurum saepe ob flabellum vel insolenter compositum magnae contentiones inter clarissimas foeminas exardescabant. Tunc enim inventa sunt flabella cum pastoralibus picturis. Mox, quum res publicae innovarentur, et flabella extiterunt in memoriam Mirabeau, celeberrimi oratoris; in quibus effingebantur quaecumque pictores voluerint; atque adeo hic ipse Necker, minister ille sapientissimus Gallicus, tamquam Minerva depictus fuit apud Ludovicum XVI regem, et mox omnia deliramenta hominum, quibus tempora illa percrebrescant.

In tanta rerum praecipi eversione, varia quoque fuit flabellorum fortuna. Tunc belli civilis flamma nobilissimi viri absumpi, et turmatim carnificibus obiecti, atroces homines in regum fautores cooruntur, ob ipsum modo flabellum traditi. Hinc dissensionum semina proferebantur, si hoc vel illud flabellum prae manibus gereret. Et illa quoque fortissima virgo, quae iniquum Marat confudit, Carola Corday, altera ferebat manu gladium, altera vero flabellum, quod seditiosum dicebatur; et ipsum in sententiae atque opinionis signum, si pro rege vel in regem quis esset ac pugnaret. Quod quidem pravum con-

tentionum genus adhuc nostris temporibus durat, et magnam inter homines discordiam atque rixas, si parva licet componere magnis, flabellum, ut vexillum quod nomen ducum praescriptumque refert, generat atque turpiter alit.

### I. B. FRANCESIA.

## COMMUNIA VITAE

### De domorum locatione apud veteres et apud recentiores

Ibam heri forte, non via sacra, ut olim Horatius, neque ut ille meditans nescio quid nugarum; sed, praeter ordinem, via, quam prope dixeris impiam, qua ad tribunal itur; et plurimas mecum ipse mente volutans vexationes, quibus immerito atque continuo multis premimur rationibus, hisce praesertim temporibus, a voracibus nostrarum domorum locatoribus. Quot affligimur eorum angustiis! Hic fiseus, qui nos suis modo turbat legibus, modo illic provincia et municipium, qui veluti agmine composto, perpetuis molestant atque excruciant ac paene exsollant; nunc demum, ut voraces expilatores, nos undique urgent locatores, qui suos putantes inquilinos posse sine ullo labore exuere, auctis in dies mercedibus nos ad sacculum redigunt. Quum has varias aliasque id genus poenas ac moerores in vultu manifesto referrem, nec amiculos ipsos obiter salutantes agnoscerem, incidi in familiarem meum carissimum, qui sic e longe me compellare est ausus:

— Ih! qui vultus! Quem te video, obscura facie tortisque oculis, semper qui fuisti hilaris facetusque? Quid habes? Quid te lacessit?

— Si tu vis scire quid me potissimum cruciet, scito: est mearum poenarum causa, domus meae herus....

— Vir ille bonus, simplex, iucundus, subridens semper et mille facetiarum auctor?

— Ipse est! Ipsissimus! Hic primus est mei leti primusque malorum causa.

— Sed est tam bonus!

— Quid si res mille, quae ei adstant, trahunt propemodum ad male agendum?

— Hic ergo est bonus modo usque ad pecuniam?

— Avarus hic turpis ex ipsa arida pumice peteret aquam si posset! Sic avidus est auri, sic cupit thesauros congerere! Ac propterea quid facit? Suos perpetuo vexat inquilinos, qui eum in ius vocant hodie, atque e contra in crastinum vocantur ab ipso. Di, talem averte pestem!

— Nihil porro narras novi! Id mihi admodum accidit. Scis me iam diu vel a patre, imo ab atavo, hospitium in aedibus suis ad sancti Augustini habere, ibique meos suscepisse liberos, ibi dies transisse plurimos modo laetos modo tristes, et ibi tamen, velit ipse aut nolit, permanere desidero vitamque finire. Ipse vero quid facit? Quod tibi fecisse narras. Heri homo hic probrosus, tenax auri, imo pertinax, mihi pretium locationis ita auxit, ut vendere potius videatur quam domum milii locare. Quod peius est atque iniucundius, et mihi dubium ingerit, est timor ne in crastinum iterum atque iterum novis usque velatisque causis, mihi in immensum locationis pretium cumuletur. Haec est omnium locatorum vexatio.

— Quod te tam duriter vexat in praesentiarum, idem me quoque crudeliter iamdudum pupugit aculeus. Sed perbelli ego me ex huiusc rapacissimi hominis

ungibus extricavi, quem optime adpellaveris Harpyiam Celaenum, dictuque nefas! Ne tamen, quod tam avare, post longos labores, a publicis muniberis stipendium obtinui, ingurgitem integrum in locatorum faueibus, multis post annis multisque angustiis vim quamdam pecuniae, sudore madens, coacervavi, ut villulam haud longe ab urbe parvo pretio primo conductam, mox emerem cum hortulis. Forte quasi ante aedium portam est statio publici vehiculi, quod electrico mirabiliter ductum, singulis prope horis Taurinorum Augustam nostram petere possum, et inde reverti. Quod lucrum exinde, quodque marsupio meo solatum! Ac propterea haud ita parva res est, postquam diu fuisti inter graves teterrimosque conclaveum foetores, in quibus, ut olim in septis includebant servi, nos integros dies vivimus, urbem festinanter relinquere clamksam et rus petere ibique aërem purum respirare. Ad haec, parvulum mihi caenam cum liberis parat industris coniux. Est in area numerosa gallinarum familia.... Sic, mea modestia, herus sum et vocor... Hic mea manu, procul negotiis, quod otium a publicis muniberis permittit, meoque consilio hortum colo, et quidquid placet semino, et singulis temporibus ea colligo, quibus mihi modica prandia parantur... Inde nec me molestat Forum Appi

*Different nautis, cauponibus atque malignis.*

Nec sufficit. Namque placide lentusque in umbra

.... ventri

*Indico bellum, coenantes animo aequo  
Exspecto comites;*

inter quos et te, dulcissime rerum!

— Quot res mihi novae itemque pectori meo iucundae! Utinam et me tanta

maneat fortuna! Speramus. Gratias tibi ago. Nunc directo ac citato gradu ad tribunal currere cogor; namque cum multis mei infortunii participibus veluti agmine composito in herum nostrarum aedium est et nobis consilium irruere, ne tot molestiis nos vexet, neve sic tot odiis se opprimat atque calumniis. Omnes enim eum viribus iunctis adgredimur, ab eius insidiis districare conamur, atque ne sit tam nobis importunus et quasi molossicus. Hodie nos taedio persequitur et pavore: quid erit in crastinum? Unum mihi restat, illud scilicet Ovidii mutuare:

*Hoc precor, ut possim tutius esse miser!*

Hisce dictis, alii alio, diversis pressi cogitationibus, amici dilapsi sumus. Sed gravis haec locationis quaestio, qua se recentiores opprimi eiulant atque incusant, estne omnino nova et nostra? Fuite et veteribus nota, novam modo proadiunctis speciem referens et molestorem? Et apud veteres Romanos inquilini de locatoribus queruntur, et domini student quanam potissimum ratione eos gravius premant, meliusque in commodum suum eos expilent atque deturbent.

\*

\*\*

Res autem est longius petenda. Romani enim, postquam, positis armis, universum terrarum orbem in suam potestatem redegerunt, omnia domi quaestui habere cooperunt, et, quod caput est, ad hoc quoque genus congerendae pecuniae dederunt, quod ex aedium locazione desumitur. Nec modo sibi aedes amplas, commodas superbasque aedificandas eurarunt, sed et illas quae locandae in civium utilitatem atque ita ipsis esent facili lucro. Hinc illud Martialis:

*Esquiliis domus est, domus est tibi colle Diana.*

Domus huiusmodi pro beatioribus urbibus fons erant commodi quaestus et ditiviarum. Et Crassus, dittissimus ille vir ac celeberrimus nummorum possessore, ad quem optime referes illud Iuvenalis:

*Viveret in terris te si quis avarior uno!*

ex aedibus, quas complures in urbe obtineret, expiscabatur, et singulis cibibus locabat.

Quo facto cives, qui tot rationibus a locatoribus premerentur, ne eorum conditio sic peior inter urbis pomaerium fieret, in liberiorem aërem, sub speciem aliquando maioris valetudinis, apud montes suburbanos se conferebant. Quin imo Iuvenalis ipse in acerrimis carminibus suis, quum voraciores dominos insectaretur, cives apertissime monet, ut possent se ex horum harpagonum manibus exuere, Frusinonem peterent, vel rura optima Sorae. Eodem enim pretio illic amplissimas aedes obtinebant quo Romae vix parvula cubicula.

Quod quidem oppportunum atque rebus suis perutile faciendum esse putarunt. At Tiberius, prouti narrat Suetonius, senatori latum clavum ademit, quum cognovisset, sub Kalendas Iulias demigrasse in hortos, quo vilius, post diem,

aedes in urbe conduceret. Kalendae enim Iuliae locationibus et conductionibus

## LUDICRA

### Inurbani castigator.

*Scribit epistolium Petrus; quae scripta videntur  
Stans retro furtim perlegit Hippolytus.*

*Tunc Petrus: « Calamus, ni retro staret, amice,  
Prorsus inurbanus, plura dedisset. Ave ».*

*— Alline transverso calamo quae scribis: honestos  
Nosco probe mores. — Contra ait Hippolytus.*

*Subridens Petrus: — Ni talia verba dedisses,  
Qua nunc me lubuit scribere falsa forent.*

### Helluo insatiabilis.

*Excruciat iuvenem atra fames ut nulla latrantem  
Exsaturet stomachum copia mira dapum.*

*Illius ingluvie vulgata, plurima et ampla  
Fercula rex misero praecipit institui.*

*Ecce epulis queis apprime satiare licet  
Bis senos stomachos, mensa onerata patet.*

*Principio oblongis pastillis fumat odora  
Plena scuta: haec praefert pabula Parthenope;*

*Dein tauri vitulaque artus, lepus atque volucres,  
Pisces stricta gelu iuscula, poma, mera.*

*Helluo lustrat hians oculis, sedet, omnia raptim  
Devorat ac mensam funditus expoliat.*

*Regem pastus adit grates acturus. Et: — Eia  
Quid tibi — rex inquit — fercula visa mea? —*

*Helluo ad haec: — Abiens laetus, tibi vera fatebor  
Fercula pauca quidem, sed bona visa mihi.*

Neapoli

F. T. MOLTEDO.

Ex litteris Amstelodamo ad nos recens missis acceptimus carminis inscripti *Civi Monita*, in proximo certamine magna laude ornati atque digni quod legati Hoeuffiani sumptibus ederetur, auctorem fuisse alium socium nostrum, hunc scilicet clarissimum FRANCISCUM T. MOLTEDO. Liceat nobis, magis quam socio, venerando magistro etiam atque etiam hic publice gratulari. — ALMA ROMA.

habitationum apud Romanos erant constituae, ut nostris temporibus sanctus Michaël passim, vel sanctus Martinus.

Quum vero aedes essent et illa aetate optima pecuniae causa, haud mirum videtur, si domini totis nervis omniq[ue] industria eo tenderent, ut suo quoque tempore et quo maiori pretio locatio fieri posset, et e contra si omni quoque opere inquilini studerent quo minus pro domiciliis conducendis solverent. Erit equidem dicendum:

*Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.*

Ipse Cicero, facundus ille orator atque in causis agendis, quo nomine est immortalitate dignissimus, haud morosus erat nec minus intelligens in inquinilinis pecuniosis quaerendis, et illis potissimum, qui ad tempus condictum mercedem seduli solverent! Quot verbis argutissimis ad Atticum suum scribens rem suam diligentius tractat! Nunquam Cicero, omnium sententia, neque tam actuosus tamque desertus *pro Domo sua* peroravit! Quam ridiculi et quam etiam ignobiles nobis passim adparent maximi illi viri, quos nobis colendos tradidit veneranda antiquitas, si proprius modo ad eos accedas eosque diligentius perspicias!

Et hic qui totus est in litteris atque in orationibus ad populum in foro vel in senatu agendis, attamen immensas opes congerere inhians, diu multumque secum ipse mente volitat, utrum uberiores fructus hauriat ex aedibus locandis an ex agris colendis. Namque centena sextertium et amplius singulis annis per usuram comparare nullo labore poterat. Caesar, quum domus publice venderet, quae circa forum essent, atque immensam pecuniae vim concessisset, vocatus fuit in ius ut prodigus, quod in annum pro aedibus conducticiis libellas mille et quingentas persolveret. Sed haud ita multo post, mutatis Romanorum moribus, libertus Syllam ipsum insimulat,

quod, humili loco natus, eamdem domum coleret pro septingentis et quinquaginta libellis. At domus interior regali splendida luxu instruebatur. Hinc pretia in dies maiora pro domibus; hinc querimoniae inter cives atque in dominos lamentationes.

Erant duae acies saepe hinc inde infensis animis pugnantes. Nil aliquando dulcius atque optabilius quam unius anni immunitas ab habitationis pretio. Quo nomine gratiae perquam maximae actae fuerunt Cellio, qui legem hac de re, multis detrectantibus, ferre ausus est. Namque quum Kalendae Iuliae appropinquarent, mira erat pauperum per Urbem emigratio, qui e domibus expulsi, aut ulro egressi, novam quae situri habitationem hac illac errare videbantur.

Martialis hunc diem adpellare haud dubitavit *dederus kalendarum Iuliarum*. Quando quis mercedulam habitationis die assignata solvere haud poterat vel nolebat, prefecturus, pignori sua bona dominis vel miserrima relinquebant. Et Iuvenalis de humili Codri mali poetae suppellectili sic iocose scripsit:

*Lectus erat Codro Procula minor: urceoli sex  
Ornamentum abaci: nec non et parvulus infra  
Cantharus, et recubans sub eodem marmore Chiron.  
Iamque vetus Graecos servabat cista libellos  
Et divina Opici rodebant carmina mures.*

Quod saepe per urbes nostras, lamentabili casu, vel tot deliciis fortunatisque hominibus afflentes, datis temporibus, trahentes adhuc videmus suppellectilem in carpentis parvulam et miseram! Idem ipsi Romani, populorum domini, faciebant!

Nobis vero hanc cogitantibus longam rerum miserarum historiam veterem usque atque recentem, fas sit auspicari fortunatissimum illum diem, quo homi-

nes suis rebus iam optime studentes parvoque contenti domum suam vel cum hortulis liberi hilaresque possideant. Sed tantam et tam felicem sortem hic in terris frustra auspicamur, quia non habemus hic manentem civitatem. Futura igitur est enixe inquirenda, ad quam quum fortunatus perveneris, nunquam ingrata illa sententia exaudietur: « *Veteres migrate coloni!* ».

SUBALPINUS.



## PRO IUNIORIBUS

*Litterae hominum ornamenta sunt a solatia.*

Si non tantus fructus — ait Cicero (1) — perciperetur ex liberalium artium studiis, quantum percipi constat, sed ex his delectatio sola peteretur, tamen haec animi remissio iudicanda esset libero homine dignissima. Nam ceterae neque temporum omnium sunt, neque aetatum, neque locorum. Haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent; delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. (2)

Equidem litteras et ingenuas artes non solum vitae oblectationem esse; sed etiam levamentum miseriarum videamus exemplo ipsius Ciceronis confirmatum. Quamdiu enim respublica per eos gerebatur quibus se ipsa commiserat, in eam curas cogitationesque fere omnes suas conferebat Tullius, et plus operae ponebat in agendo, quam in scri-

(1) *Pro Archia*, n. 16.

(2) *Id., ibidem.*

bendo. (3) Quum vero dominatu unius Iulii Caesaris omnia teneri copta sunt, non se angoribus dedit, quibus fuisse confectus, neque indignis homine docto voluptatibus. Fugiens sceleratorum conspectum, quibus Roma redundabat, reliqua urbe, rura peragrabat, abdebatque sese, quantum licebat, et solus erat. Quum autem nihil agere animus eius non posset, neque vellet languere eam solitudinem, quam ipsi afferebat necessitas, non voluntas, honestissime deponi posse molestias existimavit, si se ad studia illa retulisset, quibus adolescens multum temporis tribuerat discendi causa; omnemque laborem curamque convertit ad scribendum; atque ut, qui ante occupatus profuerat civibus suis, aliquid etiam iis prodesse posset otiosus, elaboravit ut doctiores fierent ac sapientiores, pluraque brevi tempore, eversa republica, protulit quam multis annis ea stante exaraverat. (4) Sic paruit viorum sapientum praecepto, qui docent, non solum ex malis eligere minima oportere, sed etiam excerpere ab his ipsis si quid insit boni.

Item multi quum in potestate essent hostium, multi in custodia, multi in exilio, dolorem suum litteris levaverunt. Demetrius Phalereus, — ut apud Plutarchum (5) scriptum legimus — quum e patria pulsus esset iniuria, contulit sese Alexandriam, apud Ptolomaicum regem, multaque praeclara in illo calamitoso otio edidit. Dicitur tum monuisse regem, cuius hospitio utebatur, ut conscriptos de regno imperioque libros sibi compararet atque perlegeret; quia —

(3) *De Off.*, II, 3; III, 2, et pass.

(4) Cic., *Tusc.*, III, n. 5.

(5) In *Apophthegm.*

inquiebat — quae amici non auderent monere reges, ea in suis libris scripta essent.

Ipse Dionysius iunior, quum tyrannde excidisset, interrogatus quid Plato philosophiaque ipsi profuissent: « Ut — respondit — tantam fortunae mutacionem aequo animo feram ». (1)

« Et gaudium mihi — seripsit Plinius (2) — et solatium in litteris, nihilque tam laetum est, quod non per has sit minus triste. Itaque in infirmitate uxoris et amicorum periculo aut morte turbatus, ad studia, unicum doloris levamentum, confugio; quae praestant ut adversa patientius feram ».

Cum Seneca concludere iuvabit: (3) « Si tempus in studia conferas, omne vitae fastidium effugeris, nec noctem fieri optabis taedio lucis, nec tibi gravis eris, nec aliis supervacuus ».

FORFEX.

## ANNALES

### Europaeum bellum.

Anglorum contra Teutones conlata cum Gallis offensio, quam in superiore fasciculo proximam nunciavimus, reapse kalendis Iuliis initium duxit in ea Galliae regione, quam Picardiam vocant, inter Somme et Ancre flumina, et, praeter hoc, ad oppidum usque Gommecourt. Hostibus primo impetu fugatis, ac Fricourt et Laboiselle oppidis captis, hinc ad Somme meridiem Galli, inde ad Thiepval oppidum Angli processerunt,

(1) PLUTARCH., *Ibidem*.

(2) *Ep.*, lib. VIII, 10.

(3) *De Tranquill.*, c. III.

quod, post Pozières urbem in suam dictio- nem redactam, obsidione nunc cingunt.

Nostrum equidem haud est singula cuiusque bellantis prosequi, sed tantum rerum summa recolere: satis igitur sit, quod firmum est, enunciare, Francogallos per hanc bellicam actionem primam et secundam Teutonum vallorum seriem victores pervassisse, tertiamque pressius hodie urgere. Neque hostes, Virodunum et loca circum pervicaciter laces- sentes, notabilem aliquem successum reportare ultra valuerunt; iamque videtur cum Russis fortasse esse iis ex hac quoque parte dimicandum, qui in Cathelauniae regione excursiones agitare dicuntur.

Quamquam Germani, atque Austriaci praesertim, gravius a Russis ipsis Orientem versus concutiuntur; qui per tripli- cem viam ad amissa loca recuperanda, novaque occupanda triumphantes in dies progrediuntur. Ex Bucovina enim ad Colomeae occasum vergentes, magnis itineribus Sarmaticos montes petunt, indeque copiarum faciem ad Hungari- canam planitiem depromunt; in quam imo agmina nonnulla iam immississe feruntur: in Galitia et Volinia, fractis hosti- bus ad Kolki urbem Tyramque flumen, Czartorysk sibi vindicant: quumque Stochod et Stonowka amnes vado per vim transiissent, Brody urbe potiuntur, unde, deceptis hostibus per aliam viam eos exspectantibus, exercitum ad Leopolim inducere satagunt, dum alias copias Kowel versus movent. Praeterea ad septem triones, in Rigae etiam re- gione Germanos adoriuntur, coguntque praeter Lypam flumen sese retrahere; et ad meridiem, in Caucasica, ultra Taurum gressus dirigunt; Erzinghian autem oppido capto, Turcicam fere Armeniam omnem armis obtinent.

Contra Italos nos, ex locis improviso incursu, uti diximus, occupatis gradatim hostem repellentes, eunque quasi foreipe hinc inde convellentes, Austriaci impe- tum passim, ac praesertim in Montisfal- conis castra, moliti sunt. Incassum ta- men: nobisque datum est sive recepta, sive recens acquisita loca, opportuno subsidio firmare; inter quae et Rolle transitum, Esser et Vallonem montes, alterum in valle Sexten, in Plavis valle alterum; montes denique Cavallazza et Colbricon in Dolomitarum regione; qui- bus praereptis, affirmare possumus, iter per illas Alpes in manu iam nos habere.

Explicit ita secundus immanis huius belli annus; explicit quidem hostilibus armis, pertinaci et eo quam funesto odio instructis; at explicit quoque suavi pietatis spectaculo, a pueris oblato, qui, invitationem Supremi Pontificem gene- rose sequuti, finem tantae cladis uno animo unaque voce per Europam omnem a Deo Eucharistico invocant. « Redeat humana societas, quae tam nefarie Caino dignam sese ostendit, redeat aliquando Abel digna in operibus pacis, bonorum operum, mutuae indulgentiae! » — Hoc Sanctissimi Patris per ora infantium renovatum votum, quod aeterno numine cuncta movens, Opifex rerum et mundi melioris origo, tandem admittat!

proposito recessisse, atque, in laudabili consilio suo insistentem, convenisse ut coetus, tribus hinc inde legatis constans, constituatur, qui intra mensem hunc Augustum dissensiones omnes ex aequo dirimat. Quod felix fortunatumque fiat!

\* \* \*

Interim foedus alterum nunciatum est, idque initum Iaponios inter et Russos ad constantem pacem in extre- mo Oriente servandam. Scilicet nationes illae invicem sibi fidem dederunt, alte- ram nunquam contra alteram quidquid de Oriente pacturam; quod si territo- rialia iura aut Orientis commercia in periculum versa fuerint, sese ex com- posito protecturas.

\* \* \*

Antillae insulae, quae Danorum in potestate remanserant, Sancti Thomae, Sancti Ioannis ac Santa Crucis, Civita- tum Foederatarum Septentrionalis Ame- ricae brevi fient, quae statuto pretio redemerunt; eruntque sibi magnae utilitati ad Caraiborum mare, Mexicanum- que et Panamensem sinum invigilanda.

Kal. Augustis MCMXVI.

POPLICOLA.

## VACUI TEMPORIS HORA

### Si charta deficeret...

Eos qui legunt haud ignorare puto rerum ad vitam vivendam caritati, et chartae inopiam nunc accessisse. Haud equidem affirmaverim utrumque paribus librandum esse momentis; quinimo fa- cile concedo vix unum ex hominibus centum reperiri, qui melius esse nega-

verit quod bubulinae carnis pondus imminueretur tanto pretio, quanto chartae ponderis pretium augeretur; nec ego, licet chartae innumera folia dissipem, inique tum agi iudicaverim. Atvero novam hinc causam super orbem misrendi habeo. Si enim haec, quam vivimus, aetas peculiari aliquo nomine distinguenda sit, ut quondam lapidis, ferri et... auri, dici oporteat *per chartae aetatem* nos agitari. Eequid non? Vix nascimur, chartaceis foliis « status — qui vulgo nuncupatur — civilis » abrimur; in quibus iugiter versare cogimur quum scholam petimus indeque recedimus, quum munus aliquod obeundum adimus, quum ipsa non modo nuptialis pompa, sed funebris nobis instituenda est. Aetatem inquam ex charta inde etiam, quod animus aequalium nostrorum, multo magis quam maiorum, ductilem flexilemque sese exhibeat; is imo ut in uno alteroque latere scripturam patiatur, eamque alteram ab altera difformem, saepiusque etiam alteram alteri repugnantem, quum tamen, ut charta, nedum erubescat, colore suum homo nunquam immutet, hoc est alios mores induat.

Facile itaque est in eam sententiam venire, ut, si chartae huiuscmodi caritas ea fieret, ut charta omnino demum careremus, mundi facies commutaretur,... profecto in melius. Nonne enim, charta deficiente, foedera hand scriberentur, neve ideo occasio adesset ea ex improviso consindendi? Nec poëtae versus suos typis edere possent; qui si condere persequerentur, vix patienti cuidam amico recitarent, non quidem vulgo impingerent; neque iuris periti aut advocati consulta sua — (quantum, hercule!, nunc a romana sapientia aberrantia) — posteris demandarent; neque orationes

suis, in publicis coetibus legibus feren-  
dis prolatas, populi legati; quinimo le-  
ges ex confusis codicibus ad duodecim  
tabulas merito et cum omnium bono  
redirent.... et sic deinceps.

Haec tamen somnia sunt, quibus vaniae finguntur species: chartae enim regnum firmissimum aeternumque, dum erit mundus, manebit. Nonnullis abhinc diebus legi et primae Gallicae Reipublicae temporibus chartae inopiam et caritatem exstisset, eamque tantam, ut, ventoso mense illo anni III, quum publicarum rerum curatores stigmatae chartae, quae publicis actis conficiendis adhibetur, pretium immutatum reliquissent, cives ad privatos usus ea convenientius uterentur, quam igitur a civilibus a censis potius quam ab institore emerent. Alias quidem hodierni administris; qui circa stigmaticam chartam cautores magisque praevidentes (o quanto!) ubique sese praestiterunt! At vero si caritas illa victa est, et haec, qua urgemur, superabitur; eritque semper satis chartae, lectores humanissimi, ad... *Almae Romae* fasciculos edendos, cum ipsis (heu!) notis illius, qui *Vacui temporis in hora vos torquet*.

\* \*

### Contra muscas.

Muscae! En tristissima alia cura, qua nunc, dum aestatis torridus aestuat aer, opprimimur. Quamquam rationes non desunt ab hoc malo sese reficiendi. Accipite quae mihi oblata est: Bicromati potassici partes 10; sacchari 30; piperis 2; *alcool* 20; aquae 120. Haec omnia in vitro vase miscentur, matrareque deposita cibrantur. In huiusmodi liquidum charta bibula pluries immergitur, totidemque exsiccatur. Quum ea uti

volueris, aqua madefactam in iis locis pones, a quibus molestissimum insectum arcere amaveris.

\* \*

*Francisculus*, uti vidistis, periculis tandem de suo prandio expeditus, mensae domini sui, cum Vincentio et urbanis vigilibus ab Hippolyto advocatis, iucunde participavit. De cuius quidem *mensae ordine*, praeter pullum Indicum illum, nihil ultra cognovimus. Eo magis ideo laeto animo accipiemus quae coquus noster, iam in album *Almae Romae* redactorum relatus, nobis comparavit. Ea sunt prouti sequitur, gulaeque praesertim tuae, anonyme mi Badaicensis, maxime accidunt:

*Panis crusta vitellis farta, iuri innatantia.  
Ofellae ex ariete leviter frixa, musteo embammate saporatae.*

*Pipiones craticula ambusti.*

*Russica acetaria.*

*Pastilli foliacei cum nivatis fructibus, ad Macedonum morem.*

O utinam Polycarpo illi, cuius aerumnis colligendis nunc vacamus, atque brevi in nostras paginas referre posse confidimus, unum saltem ex ferculis hisce attingere contigisset!

\* \*

### Locosa

Tuccio medicus balneum tubulatum frigidum praescripsit, ac deinde prolixum eursum ad reactionem constituerat. Balneo peracto, Tuccius domo prosilit primamque rhedam sibi obvenientem ingreditur. Aurigae autem interroganti quo ducat:

— Quo volueris — inquit —; dummodo prolixius me trahas et cursim!

— Insaniit quidem amicus meus; quaerit ut suis litteris respondeam, neque tamen indicat quo meas ipsi mittam.

— Ecquid? Ab eo scriptis petas, ut quo citius domicilium hodiernum suum tibi significet.

\* \*

### Aenigmata

I.

(Vulgo *Rebus*)


iuvant iuvant  
iuvant iuvant

II.

### L U VI E M O D I

(Aenigmata in superiore numero propria-  
ta his respondent: 1] *Navis*; 2] *Tegula*).

IOSFOR.



### Librorum recensio

FELICE RAMORINO. *Gammatica della lingua latina ad uso delle scuole italiane*. — Seconda edizione. — Francesco Perella, Società anonima editrice. Napoli.

Qui fiat ut apud Italos nos, qui latinitatem præ ceteris populis naturae, ita dicam, inhaerentem habemus, in ea tamen tales progressus in scholis faciamus, ut adolescentes post plures annos inde redeant latine linguae nedum ita periti, qui et scriptores aliaque latina monumenta facile intelligent, immo vero ea quasi fastidiant et oderint, expertus didici id latinae grammaticae tra-

dendae rationi esse maxime tribuendum. Plerique enim magistri, — ipseque studiorum ordo publice propositus — mentis suae oculos perstringentes in subtilibus illis fere iudis, quibus Germani praesertim quasi per funem ad latitatem incesserunt, nostrorumque virium nostraeque intimae vitae, hoc est cogitationum et rationis, obliti, figuræ ab illis oblatas, nec vivas nobis nec vitales, Andabatarum more, iam diu soliti sunt in scholis complecti, eaque noctem diemque morari. Non is profecto sum, qui aliorum sapientum merita denegem eorumque studia exquisita, ingeniosasque elucubrationes nihil pendam; id unum contendo, quum cuique populo sua insit cogitandi vis et natura, quae unius propria sunt ad alium trasferri libere non posse, neque ex arbore in sua terra ac temperie culta, posse alibi per eundem cultum totidem fructus itemque sapidos percipi. Sit cuique sua via per quam ad scopum tendere festinet: quem quum alii alio more attigerimus, manus amice componere iuverit, et a nostris discipulis altiora simul repetere.

Haec sponte calamo occurserunt, quum de latinae linguae grammaticæ scribere aggrederer, quam pro humanitate ac modestia sua examini mihi subiecit clarissimus vir Felix Ramorino, doctor latinis litteris trandendis in athenaeo florentino. Qui principio tandem fultus, ad latinam linguam recte et cum fructu ediscendam, esse necesse, ut adolescentes assidue conferant quomodo ab Italibus nunc, et a Latinis quondam, animi sensus oratione patefiant, notatisque aequalium ac discrepantium habitu ac proportione, linguae, in quam incumbunt, peculiaria quae sunt paullatim addiscant, suaque ita per gradus faciant, ut latinarum phrasium vim atque florem subito ac sine ambiguitate carpere assuecant, ab Italicae propositionis structura explicanda proficisciuntur; nempe eius formam tum simplicem, tum compositam, tum adiunctis complexam sedulo ac per partes imprimis perpendit, ibique quasi fulerum totius doctrinae ponit. Tum ad latinum « nomen » accedit, desinentiaeque immuta-

I. F.  
~~~~~  
*Utque comes radios per solis euntibus umbra  
[est,  
Cum latet hic pressus nubibus, illa fugit;  
Mobile sic sequitur fortunæ lumina vulgus,  
Quæ simul inducta nube teguntur, abit.*  
OVIDIUS, Trist., I, 8.

## VIRTUS PRODIGA VITÆ

*Ampla foro quondam patuit praeerupta vorago  
In medio, terror cunctis volucrumque recessus.  
Noctua nam stridens ferale carmine, vulgus  
Territat et caecas latebras ululatibus implet.  
Ipseque per rimas lente sinuosus oberrat  
Anguis et humectat cautes scopulosque saliva.  
Horror adest circum, nullus patet exitus, atra  
Lux imo fulget, densatur nubilus aer...  
Hunc stupet immensum, nescit dum vulgus, hiatum,  
Quo tristi casu tellus adaperta dehiscat.  
Conveniunt omnes, linquuntur rura. Coloni  
Civibus admixti quaerunt quae signa Deorum  
Id ferat augurium, et prostrati numen adorant.  
Certa quidem Superum mens: num peccata nefanda  
Castigare velint, patriam quod prodere gentes  
Sint ausae, vel et antiquum contempnere cultum?  
An quod et — horrendum! — externos inducere mores  
Qui Rem Romanam turbent fundamine ab imo?  
Anne sui nutus non exorabilis, ipsi  
Iam dare monstrosum properant ex aethere signum?  
Stat specus in medio cava: stat simulacrum grande  
Tristitia et luctus, causa indubitate malorum...  
Qualis enim fera, quam Libyæ per inhospita lustra  
Femineo errantem specioso pectore narrant  
Allectos homines forma captosque vorare.  
Anguineo aut atrox Phorcys connexa capillo,  
Quae in lapidem extemplo mirantes vertere gaudet.  
Nulla quies, timidos mora nec tenet ulla Quirites:  
Ligna, sudes, silices, testae, virgæque, metalla,  
Quidquid enim nemus et rebus praesentibus affert  
Usus, in obscuras, miro certamine, fauces  
Mittitur, adstantes pueri dum fletibus ora  
Spargunt et matres vigilanter templâ fatigant.  
Incassum labor: exhaustit nam cuncta vorago,  
Vanescitque strues rapide nisusque virorum...  
Ut quum, percussa chalybis iam cuspide navi,  
Quam longe hostilis iecit per caerulea classis,  
Magno cum tonitru tormenti, magna minantis:  
Finduntur costae, moles quassatur ahena,  
Spumescunt moti fluctus, et gurgite ab imo  
Aestuat unda minax, dum praeeeps labitur ipsa  
Navis, opes, nautas secum ruitura profunde.  
Quid faciant? quanam Superum ratione furorem*

*Avertant animisque ferant lenimina pacis?  
Forte per hoc tempus versans ambage Suburae  
Appius errabat vates sacer. Hunc venerandum  
Reddebat anni et vultus gravis et coma longa.  
Qui surgente propolis luce per Argiletum  
Sutrinisque frequens et per delubra Patulci  
Ad plateas strepitumque fori succedere suescit.  
Incessunt illum precibus variisque petitis:  
— Quid dicat signum, vel quid minitetur hiatus.  
Num cadet in barathrum praeceps urbs alta Quirini,  
Orbis et ipse ruet totus sub pondere lapsus?  
Quove piamento Superum placetur et ira? —  
— Macti animo, — sic interpres — non fata sinistra,  
Non dubii casus, non mors, haud ulla ruina!  
Experiuntur enim divi quid robore possit,  
Quid studio patriae valeat romana iuventus.  
Roma fuit victrix, et stabit turribus alta,  
Bellipotensque diu cunctis dominabitur oris,  
Dum sacer ille locus, quem nunc immensa vorago  
Occupat, et mentes urget velut omne diro,  
Mox, positis curis, repleatur flore sacrorum...  
Quo potis est populus valde, dicet. Hostia pinguis  
Grata deis erit, ut primum libamen, et orbi  
Portendet cuncto Rem Romanam fore summam. —  
Dixit et obtutum clivorum in culmina vertit.  
Obstupere animi velato carmine vatis,  
Et fixis oculis iuvenis vel quisque silescit.  
Ut quum nocturno visu capimur subito, dum  
Lumina victa damus somno, fessique iacemus:  
Apparet quaedam species iam cognita menti,  
Quam aut tablino depictam conspeximus olim,  
Horrendam aut scena aut libris invenimus ante:  
Consistit sanguis, formidine lingua cohaeret,  
Et quasi solvuntur nervi, mens ipsa vagatur... .*

\*\*

*Iamque forum late resonabat vocibus. Ardens  
Iam sol lustrabat vicos, delubra, tribunal.  
Res properae in plateis, tamquam vi turbinis actae:  
Est olitor raucus, piscator et assecla mensae,  
Et figulus, coquus, argentarius atque minister.*

(Ad proximum numerum).

MARCUS GALDI.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☩ ☩

BENEDICTO XV P. M.  
quo die tertium init Pontificatus annum

*Ecce September rediit, ter ortus  
ex die quo Tu, BENEDICTE, Petri  
nactus es Claves, aperire doctas  
ostia caeli.*

*Hac et in terra vehementer ardes  
Pacis occlusum reserare templum;  
at tuis (eheu!) mala sana Tellus  
nisibus obstat.*

*Obstat, et caeco veluti furore  
mota, qua late patet, horret armis:  
montium summos apices et imas  
undique valles*

*occupat miles, quatuntque Martis  
aera, quae iugem tonitrum profundo  
dum sinu gignunt, cita, crebra, dira  
fulmina vibrant.*

*Praeliis Terrae sua bella iungit  
Aequor, horrendis gravidum siluris;  
iungit, armatis ratibus volatu  
pervius, Aether.*

*Gens enim gentem superare certat  
arte ferali citius necandi  
hostium plures; feritasque habetur  
martia virtus.*

*Saepe, mulcendis sapienter iris,  
verba Tu Pacis pia protulisti;  
quae tamen voces sonuere surdo  
(proh dolor!) Orbi.*

*Vix id orando, Pater, impetrasti,  
captus ut miles mutilusve posthac  
sorte gauderet meliore, donec  
reddita pax sit.*

*Pacifer Christi, BENEDICTE, praeco,  
o tuis tandem monitis volentem  
Mundus hic vecors, posito furore,  
praebeat aurem!*

*Caritas rursus regat aequitasque  
omnium mores! Tibi longa demum  
currat annorum series, perenni  
Pace beanda!*

FRANC. XAV. REUSS.